

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN659038048

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN659038048>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048>

LOG Id: LOG_0032

LOG Titel: Sectio XXVI. De Lienis Functione

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

SECTIO XXVI.

DE

LIENIS FUNCTIONE.

§. 388.

Hepati vasorum praesertim commercio proxime iunctus est *lien* *); a sinistris ipsi adversus; figura sua oblonga **), in universum quidem vicinis visceribus quibus adiacet, se quasi ac-

*) Quicquid ad sua usque tempora de liene innotuerat, studiose collegit, et succincte exhibuit CAR. DRELINCOURT fil. *de lienofisi ad calcem opusculorum. Patris, ex ed. BOERHAAVII p. 710 sq.*

Tum vero cf. CHA. LUD. ROLOFF *de fabrica et functione lienis. Frf. ad Viadr. 1750. 4.*

E nuperis vero v. L. J. P. ASSOLANT *Recherches sur la rate. Par. 10. 8.*

C. F. HEUSINGER *über den Bau und die Verrichtung der Milz. Isen. 1817. 8.*

et CHA. HELLW. SCHMIDT *Commentatio (Praemio Regio ornata) de pathologia lienis etc. Gott. 1816. 4.*

**) WALTER tab. III. G.

MASCAGNI tab. XIV. P.

commodans, multifariis vero ceteroquin varietatibus formae, numeri, aliisque naturae quasi iusibus obnoxius *).

§. 389.

Color ipsi lividus, textura vero plane singularis, mollis, facile laceranda, ideoque dupli involucro membranaceo munita, quorum interius lienī proprium est, exterius autem ab omento proficisci videtur.

§. 390.

Situs vero et volumen lienis praeterquam quod non minus ac figura eius singularibus subinde varietatibus ludat, in universum etiam pro diversa repletione ventriculi varius est; turget nempe sanguine quamdiu vacuus laxe dependet stomachus; quando hic vero tumet, tunc ab eo ipso pressus emulgetur lien.

Sed et alio et quidem perpetuo et si leni et aequabili motu agitatur, respira-

*) v. SANDIFORT in *Natuur en geneeskundige Bibl.* Vol. II. p. 345 sq.

tionem nempe sequente, cuius primario instrumento, diaphragmati nempe, proxime subiectus est.

§. 391.

Texturam spleni quondam tribuebant cellulosam, eamque passim cavernosam penis corporibus comparabant; fallaci plane argumento, quod curatiore humani lienis indagine in totum refutatur*). Hac enim docemur, universum hocce viscus fere totum quantum e vasibus conflatum esse sanguiferis, pro mediocri eius mole longe amplissimis; ita ut omnium corporis humani partium sanguinis ditissima extet.

§. 392.

Et quidem arteria lienalis, tunicarum tenuitate et robore, Wintringhami experimentis demonstrato, conspicua, in infinitos ramusculos divisa, ultimis demum suis finibus pulposos penicillos re-

*) v. LOBSTEIN diff. *nonnulla de liene sistens*. Argent. 1773. 4.

fert, qui dein venulis lienalibus originem praebent, sensim sensimque in peramplos et laxos facileque dilatabiles truncos confluentibus.

§. 393.

Nectitur autem et fulcitur ingens haec sanguineorum vasorum congeries parco parenchymate cellulofo, unde venae absorbentes lymphaticae oriuntur, quarum trunci in sima maxime lienis facie inter utrumque quod diximus involucrum eius membranaceum, decurrunt *).

§. 394.

Ipfa vero haecce laxa et sanguinis capacissima lienis textura iis egregie respondet, quae supra (§. 390.) de sanguine huic visceris turgore diximus: et ex eadem quoque purpurei laticis in liene

*) Singulares et paulo paradoxas HEWSONIS, viri ceteroquin praestantissimi, opiniones de functione lienis, v. in opere eius posthumo, cui tit. *Experimental Inquiries* P. the 3d. Lond. 1777. 8. C. II. S. XLV sq. XCV sq.

congestione et lentiore refluxu, considerata simul viscerum, quae spleni proxime adiacent, natura, peculiaris illustratur sanguinis lienalis indoles, quae ipsa demum functioni huius aenigmatici visceris, de qua toties disputatum est, lucem impertire videtur.

§. 395.

Est autem sanguis quem lien praebet fluidissimus, resolutus, qui difficillime cogitur et serum suum iniquius a crassamento dimitit; colorem porro prae se fert lividum, obscurum, qualis in foetu est; quae quidem omnia satis aperte carbonacei elementi abundantiam demonstrare videntur: quam et facili experientia et quod vix fallit ulterius probatum comperi, quando humani lienis recenter dissecti segmenta et taleolos oxygenato exposui aëri, cuius accessu laetissime rubebant, aër ipse vero oxygenio suo ita sensim orbus, carbonaceo e contrario elemento inquinabatur.

§. 396.

Cum autem porro lien unicum id generis viscus sit, omni, praeter vasa quae diximus et quorum venae ultimato versus hepar tendunt, excretorio ductu destitutum, primum videbatur concludere usum eius eo redire, ut hepatis functioni inferiat, et ad bilis praeparationem partes suas conferat; cui quidem sententiae novum adhuc accedere putabatur pondus observatione, qua bilem cysticam iis in animalibus quibus antea lien excisus erat, [quod singulare experimentum ab antiquis inde temporibus saepissime instituerunt*]) varie vitiatam, subinde pallidam et inertem, repertam esse constabat.

§. 397.

Vicenis vero ad minimum de problematici huius visceris usu genuino hypothesis a physiologis propositis, binae nuper accessere gravioris momenti sen-

*^o) J. H. SCHULZE *de splene canibus exciso.* Hal. 1735. 4.

tentiae, quarum quidem utraque splenis cum *ventriculo* commercium innuit, in eo tamen plane diversae, quod altera *) lienem pro *diverticulo sanguinis arteriosi* habeat, qui *secretioni fucci gastrici* destinatus sit; altera *contra ***), eaque egregiis sane argumentis et experimentis suffulta, eundem splenem potius recipiendae magnae partis *potulendorum*, ex *cardiaca ventriculi* parte inservire statuat; utpote quae hac ratione, per vias hactenus quidem clandestinas, brevi quod aiunt manu ex *stomacho* in lienem, adeoque in sanguineum fluentum transire queant; quae quidem sententia, praesertim si dubia

*) VINC. MALACARNE in *Memoire della Soc. Italiana* T. VIII. P. I. pag 233.

A. MORESCHI *del vero e primario uso della milza.* Mediol. 1803. 8.

**) EVER. HOME in *philosoph. Transact.* 1808.

Serius vero vir acutissimus in iisdem Actis a. 1811. lienem potius inter organa secernentia refert, cui vero insignia quibus scatet, vasa lymphatica ad canalem thoracicum tendentia, utique loco ductus excretorii inserviant.

quaedam quae eam adhuc premere videntur ^{**)} soluta fuerint, utique ulterioris indaginis dignissima videtur.

^{**) v. c.} habitus lienis in iis calidi sanguinis animalibus quae potus abstemia natura sua nunquam bibunt; aut in bisulcis quibus splen rumini s. ipsi isti magno ventri adhaeret, qui crudum tantum victum, nunquam vero potum admittit, siquidem huic aditus ad hunc ventrem mirando mechanismo notissimo seminalis ab oesophago ad omasum tendentis, praeclusus est.